


CLEMENS PP. VII^s

Dilecti filij salute et apostolicam benedictionem. Humilibus dilecti filij Angeli Adriani civis et oratoris ad nos vestri supplicationibus pro parte vestra nobis porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, Indulta, immunitates, exemptiones, gratias et Capitula vobis ac Communitati istius Terrae nostrae Montis sancti per quoscumque Romanos pontifices predecessores nostros, seu Legatos, et quoscumque alios ad id facultate habentes concessa, dummodo iusta et honesta, ac in usu sui, ac contra libertatem ecclesiasticam, et in damnum fisci nostri non tendant, auctoritate apostolica tenore huiusmodi approbamus et confirmamus ac pleniter patrocino committimus. Et in super maiori vos gratia prosequi volentes, Quod officialem damnorum datorum istius Terrae sine aliqua impetratione aut confirmatione superioris pro tempore, pretio, pactis et Capitulis, quibus inter vos et officialem seu officiales huiusmodi conventum fuerit eligere et deputare prout hactenus servatum fuit, Nec non a Transseuntibus cum animalibus per Territorium vestrum, dummodo non ultra unum diem cum animalibus ibidem permaneant ad instar multarum vobis circumvicinarum Communitatum pedagium in constructione, reparacionem et manutationem Pontium, viarum, Fontium, aut yis non indigentibus, edificiorum publicorum, et non in alios usus, convertendum exigere possitis, eisdem auctoritate et tenore concedimus ac indulgemus. Mandantes in virtute sanctae obedientiae dilecto filio nostro nunc et pro tempore existenti Provinciae Marchiae Legato, eiusque Vicelegato, Commissariis vero, Thesaurario, Iudicibus, Marescallo et alijs quibuscumque officialibus sub excois ac indignationis nostrae poena, quatenus huiusmodi litteras nostras in omnibus et per omnia observent, et ab alijs faciant, sub penis etiam pecuniarijs arbitrio eorum imponendis inviolabiliter observari. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, consuetudinibus, ceterisque contrarijs quibuscumque non obstantibus. Datus Roma, apud sanctum petrum sub annulo piscatoris die VII^{mo} May. M D X X IIII. Pontificatus

Nri

Anno Primo

Evangelista



Dilectis filijs Prioribus, Communi et Homibus
Terre nostre Montissancti: Firman' dioc:

Ann. VII 1524.

Confirmatio Privilegiorum Sancti. Pape. & Reson.
Cassini Grammatici d. d. d.

N.º 19.º



15

